

celebrant. In editione systematis Tui Lipsiensi, denominatio Generis 152: Coccinella translatori ad lepidum errorem occasionem dedit, accipiendi speciem primam pro Cochinella scarlatinum colorem præbente. Chrysomelas me cognoscere credo, sed quid per antennas moniliformes earum intelligendum sit scire amem. Idem translator, ni fallor, Cel. Hebenstreit, Prof. Lips. genus 158 Mordellarum pro Notonecta suscepit et in Wasserwanze (*Cimex aquaticus*) transtulit; Vt et Cicindelas Tuas in leuchtende Käfer (*Noctilucas*). Miror ipsum non etiam Cantharides in spanische Fliege (*Cantharides officinar.*) transtulisse, de quibus ipse tamen non satis certus sum, num Tu eas ad genus Cantharidum officinarum retuleris; olim Halæ per vnicum modo diem in syringa maximo numero hospitantes vidi. Num Leptura a λεπτὸς et ἐρημὸς? num Necydalis quasi mortuos lædens? et quale illud insectum antiquis probabiliter fuerit? Vnde Aphid? num forsan ex Ἀργία? Vnde Thrips, Panorpa, Tenthredo et Cynips? Ex Te scire amem. Ne detrectes agere Professoris Professorem. Ne objicias talia discipulis Tuis esse nota. Volo enim etiam ex ea parte Tuus fieri et esse discipulus. Et licet conjecturando rem assequi possem, potius tamen mihi erit certitudinem eius ex fonte haurire. Insuper ex Te ero go, vbi figuræ Amphitrites, Tethyos, Nereid., Tritonis et Salaciæ inveniantur ad Tuas quidem denominationes respondentes. Qualis inter cochleas *Helix* et *Fistula*? inter *Dentalia* *Penicillus*? inter *Nautilos* *Lithuus*? inter conchas *Buccardium*? cum nulla citatio rem indigitans ad hæc nomina adsit; Quorsum referas *Nautilus* tenuem, papyraceum vnilocularum? Plura hæc sunt, quam in vna lectione exspectare queam. Omnia vero otiosis Tibi quibusdam, vel saltem minus laboriosis, momentis relinquo.

Ex pagellis simul ad Te missis laboris mei præsentis specimen conspicis, cuius conditionem, quoad icones conchyliorum naturalibus coloribus pictas excellentem, D. Pr. Friis tamquam autoptes fusius indicabit. Quod ad meam partem huius operis attinet, non possum quidem jure ab ullo Naturalistarum, minime a Tuæ perspicaciæ Viro favens exspectare judicium, cum ipse fateor me demum tironem in hoc studio